

LXXVI. PELTVINVM VESTINVM (prope Pratam). *Tribu Quirina.*

Peltuinates in Vestinis recenset Plinius h. n. 3, 12, 106, in provincia Valeria liber coloniarum (p. 229: 'colonia Peltuinorum: iter populo non debetur: ager eius limitibus intercisis est adsignatus'; redit ibidem in recensione deteriore p. 257 sub corrupto nomine coloniae Plentinae). Praeterea cum auctores taceant nec satis appareat, quando Romani hanc Italiae regionem suam fecerint (nisi fortasse hic pertinet quod apud Florum 4, 10 M. Cnrius consul a. 464 dicitur vastavisse omnem eum tractum, qua Nar Anio fontes Velini, Hadriano tenus mari, testimonio propter auctorem parum firmo, per se probabili), subeunt in locum eorum lapides. Nomen oppidi plene enuntiat decretum n. 3429 factum *Peltuini Vestinis in curia Aug(usta)*; de addito nomine Vestino vide quae observavimus p. 317. Condicionem qui indicant tituli, differunt: nam *praefectura* dicitur in eodem decreto, *pars Peltuinatum* in titulis n. 3420 et 3430, fortasse item 3438, quae appellatio sane mira potest coniuncta esse cum Aufinatibus nescio quo modo ad Peltuinates adiunctis (v. p. 320), denique *municipium*, abusive opinor, n. 3384. Ordo ut decurionum (n. 3524 al.) ita conscriptorum quoque (n. 3429) nomine audit. *Aediles* nudo honoris vocabulo perpetuo usi (n. 3384. 3385. 3431. 3433. 3434. 3438. 3519) sumnum locum in magistratibus tenuerint necesse est; nam non solum quattuorviri deficiunt, sed adsunt *aediles quinquennales* (n. 3385. 3429. 3437) iidem brevius dicti *quinquennales* nude (n. 3429. 3522). Frequenter item reperimus *praefectos iure dicundo* (n. 3384. 3433. 3434. 3437. 3522. 3575 cf. n. 3428), nec dubitandum est de *praefecto quinquennali* (n. 3385). [Quod coniecit Henzenus (ann. 1859 p. 202) speciose sane, pariter atque Fundis et Formiis, praefecturis scilicet olim et ipsis, praefuerunt aediles tres, ita praefecture Peltuinatum praefuisse aediles duos et praefectum iure dicundo unum, id quominus admittam, impedit decretum ordinis Peltuinatum n. 3429 factum non a tribus iis magistratibus, sed a solis aedilibus duobus; nam cum quinquennalitatis tam praefectus capax sit quam aediles, inter eponymos quoque admitti debuit si simul cum aedilibus munere fungebatur. Quaesstores adsunt tam *rei publicae* (n. 3434) vel nude sic dicti (n. 3384. 3522

cf. 3434) quam alimentorum (n. 3384. 3434. 3437. 3438). Accedunt *viocurus viae Claudiæ* (n. 3384. 3385 cf. n. 3434) et *annonae curator* (n. 3437). Sacerdos reperitur *flamen divi Augusti* (n. 3384. 3385) sive *flamen Augustalis* (n. 3434. 3522), fortasse etiam *flaminalis Aug(ustalis)* (n. 3437), nisi est *flaminalis* idem *augur*; praeterea mulier *sacerdos Veneris felicis* (n. 3429), quacum componendae sunt *magistrae Veneris* quinque n. 3518. *Sexviri Augustales* passim nominantur (n. 3417. 3432. 3441. 3442. 3443. 3524. 3525), in his bisellio honorati (n. 3436. 3524) et quibus cubitus, id est accumbendi cum decurionibus ius concessum est (n. 3436). Collegia tenuiorum fere et servorum adeo sunt *Herculis* n. 3383, *Iovis optimi maximi* n. 3519, *Silvani* n. 3526 (cf. n. 3447), item *cultores numinis nescio cuius* Peltuinates n. 3422, item quae Paganicenses tituli prodiderunt *invenum Fificulanorum cultorum Herculis* n. 3578 et *cultorum dei publici* n. 3577. Ad similia corpora referendi sunt *magistri* duo servi n. 3424. Contra *magistri* tres n. 3440 videntur fuisse pagi cuiusdam; de quibus pagis nominatis item in n. 3428 paucis exposuimus in praefationibus ad regiones agri Peltuinatis a nobis ab ipso oppido separatas. — Tribum Peltuinatum fuisse Quirinam multi tituli declarant.

Ipsum oppidum Peltuinum fuit eo loco qui hodie dicitur *Civita Ansiedona* sive *Ansedona*, ubi circi aliorumque aedificiorum splendidorum parietinae adhuc supersunt. Proxima ecclesia S. Pauli prope Pratam in documentis saec. XIV et XV dicta S. Pauli a Peltuino similiter (Franchi *difesa dell' Aquila* p. 35) quique praeterea circumiacent vici Castelnovo, S. Pio delle Camere, Camponesco, Tusci, Opi, Fagnano, Ripa, S. Nicandro cum ecclesia S. Petri a Sinizzo quidquid dederunt, Peltuinatum est. Ad eosdem rettulimus quae prodierunt in vicis meridiem versus adiacentibus Bominaco, Caporciano, Navelli, denique in valle Aterni Beffi, Goriano delle Valli, S. Mariae del Ponte, Fontecchj, Stiffe, ubi tamen fines inter Superaequanos Paclignos et Peltuinates Vestinos certa ratione determinari non potuerunt.

Auctores recensuimus in praefatione Amiterninarum.

3414 Navelli in ecclesia S. Mariae de Gerulis; deinde Neapoli in collegio Iesuitarum; hodie ibi in museo publico.

T · VIITIO
D V N O
D I D H T
H I I R C L O
5 I O V I O
B R A T
D A T A

Recognovi. Guidobaldi *iscrizione arcaica di Ti. Vezio* (Neapoli 1864. 8. pp. 49 et XI) dedit delineatam; Henzen *Bullett. dell' Inst.* 1865 p. 37 ad ectypa a Garruccio subministrata; Fiorelli cat. n. 441; Garrucci syll. n. 843.

Recepi titulum, quamquam et mihi et Buechelero Osce loqui videtur; nam potest de ea re dubitari. Hic de titulo haec mecum communicavit: 'Dubites Latina sit lingua an eius regionis propria. verum brat ignotum est Latinis, Herelo non usitatum, non dicunt duno sed donom nec didet sed dedet. et si didet perfectum est, inscite ille adiecissemus putandus est brat data. quare dialecto alii titulum tribuo, etsi Pacligni Vettis ex Vettios, non Vetto efficere soliti sunt. didet praesens est indicativi ut coniunctivi dida in carmine Corfiniensi (mus. Rhen. 33 p. 280), ut futurum Oscis didest. item Hereklo Osci dativum fecere tamquam Herculo. Bantiae magistratus iurat se comitia non dirimere brateis arti cadeis annud, id est sine gratia et ira, non beneficii aut iniuriae caussa; in titulo Anxiano εσοτ βρατωμ, hoc donum offertur, item in Sulmonensi bratom Minervae. fortasse idem verbum est quod lat. paratum, nam embratur Oscis imperator, empratois apud Paclignos imperatis. hic feminino nomine opus est brata quod pro pecunia parta, pro quaestu habeo: Vettius remuneratur Herculem qui lucrum dederat.' — Guidobaldo (p. X) teste Mancinius parabat commentarium de titulo simili sive Osco sive Latino, in quo erat CAUSIVS.

3415 [= 6043] in Castello novo intra aedem S. Stephani ACC. Non repperit DRESSEL. — Goriani in S. Iustae MVR. errore.

ANNEIA · ALBA
NA · LARES
ET · ARAM
DE · S · P ·

Accursius n. 38 (inde Mur. 115, 3 e sched. Ambros.). Oreli 1657.

3416 [= 5940] pulchris litteris. Ad S. Nicandri, strada della Fontana, in macerie hortorum baronis Cappae.

ALLIDIUS · L · L
PHILOMVSVS.
HILARIO · ALLIDI ·
SILVANO · D · D

arbor capella eam depascens

Recognoverunt Brunn et Dressel. Leosinius misit Instituto archaeologico.